

Reverendo in Christo patri et D. Frederico Abbati
S. Aegidii. Nurembergae suo in domino majori.

S. Literas tuas quinta Julii datas, vigesimo nono eiusdem accepi. Una
cum descriptione Saponis conficiendi. pro qua gratias ago uxori tuae.
intelligo enim eam fideliter communicasse quod potuit et habuit. verum si
Sapo sic conficiendus sit, malim quatuor pondo, aureo numo emere.
quare non sine risu legimus. artem tam anfractuofam et inutilibus
laboribus non foetore tantum molestant. longe aliam viam oportet esse
Saponis boni conficiendi. sed facessat Sapo. vel veniat potius e Venetiis.
Gratias ago etiam tuae humanitati. suavissime comperit propter literas
tuas. quae me multis de rebus certior reddunt. Genes meus semper
inanes rerum mittit literas, rogavi nuper ut de partum filiae. ~~et~~ ex
valetudine me diligenter doceret. sed ipse eius ne una quidem syllaba
meminit, nec salutem eius nomine nobis ascribit. quae res mihi
prodigiosa videtur. forsassis habet dehortatores. ne mihi familiariter
scribit scribat, propter periculum. Georgius Loeffellad Jero. Schebald
recte mortuus est. De morte Bernardi non libenter audio. vereor
ne non profit vbi. Sorore eius nec intempestive. nec infeliciter mortua
est. quid enim boni expectare potuit? Nunc videbimus quid sit
in reliquo. Aestatem nos habuimus in hac regione Jeram. sed
temperatam, nec nimis pluviosam. nec nimis siccam. pestis hic grassatur.
sed in puellas maxime. et pueros ac tenue vulgus. frigore et fame
confectum. praeterita enim hiems durissima fuit inter 35 annorum
praeteritorum hiemes. glacies continua. 26 hebdomadibus duravit,